

251

249

255

245

260

240

300

200

350

150

Ende

Anfang

236

saepissime nominanda Jerusalem emicuit: cujus partem illam
vidimus, quae monti Syon annexa est, et ipsum sanctum
montem Syon vidimus cum omnibus structuris ejus et ruinis.
Praecipue tamen arcem Syon fortissimis muris et turribus
munitum vidimus ita claro aspectu, quod muri eminentes arcis
et turres videbantur cingere civitatem, et peregrinus, qui
nunquam vidit Jerusalem, aliud aestimare non potuit, nisi
quod muri arcis Syon essent muri Jerusalem, quod tamen
non est. Cum ergo civitatem sanctam jam diu desideratam
oculis nostris cerneremus, repente de asinis cecidimus pro-
strati in terram, ipsam sanctam civitatem devotissime saluta-
vimus, regem ipsius Dominum Deum primo adorantes cum
vexillo crucis, et deinde his vel similibus verbis ipsam allo-
quentes.

Salve Jerusalem civitas regis magni! Gloria et corona
totius mundi, gaudium et laetitia animae fideli! O Jerusalem,
Jerusalem, surge et leva in circuitu oculos tuos et vide! omnes
isti peregrini congregati de universis et ultimis mundi partibus
venerunt tibi filii: tot de longe jam jam veniunt ut intueantur
splendorem tuum et gloriam Domini super te singulariter ortam,
ut propheta denunciat, Esaj. 60. sqq. Et Tobias sic te
collaudat: luce, inquit, splendida fulgebis, et omnes fines
terrae adorabunt te, nationes ex longinquo venient, et munera
deferentes adorabunt Dominum in te, et terram tuam in sanc-
tificatione habebunt etc. Tob. 13. sqq. Sed et sanctus
Bernardus, in sermone ad milites templi, praeclarissimam
illam civitatem Jerusalem his inclamat verbis cap. 5. Salve,
inquit, civitas sancta, quam ipse sanctificavit sibi tabernacu-
lum suum altissimum, quo tanta in te et per te generatio
salvaretur. Salve civitas regis magni, ex qua nova et jocunda
mundo miracula nullis temporibus defuere ab initio. Salve,
domina gentium; princeps provinciarum; patriarcharum pos-
sessio; prophetarum mater et apostolorum; et initiatrix
fidei; gloria populi Christiani, quam Deus semper a principio
passus est oppugnari, ut viris fortibus sicut virtutis, sic fores
occasio et salutis. Salve metropolis terrae promissionis, quae
olim fluens lac et mel tuis duntaxat habitatoribus nunc uni-
verso orbi remedia salutis, vitae porrigit alimenta. Terra

